

C A P U T X.

Vt Deum semper habeamus præsentem.

I. Cogita, Deum esse spiritum subtilissimum, potentissimum, vivacissimum, per omnia diffusum, omnia penetrantem, omnibus intimè præsentem.

II. Cogita, hunc immensum spiritum esse intimè præsentem cordi tuo, & ibi in fundo animæ delitescere, cum tota potentia, sapientia, sanctitate, maiestate & beatitudine suâ, & cum infinitis opibus & bonis, quæ in thesauris sapientiæ & potentiæ illius sunt recondita. Ipsum posse in momento te beatum facere, unam scintillam luminis gloriosi communicando. Posse quoque, si ipsum offenderis, subito perdere, & æternis ignibus tradere.

III. Cogita, ejus oculos millicuplo lucidores sole, intueri omnes intentiones, omnes affectus, omnia opera interna & externa: denique omnia nuda & aperta esse oculis ejus.

IV. Perpende, quomodo sit in rebus omnibus: & imprimis in te ipso per essentiam,
Per

per potentiam, & per inspectionem. *Per essentiam*: quia ejus essentia ratione suæ immensitatis, cum omnibus bonis suis ubiq; est præsens, tanquam intimum fundamentum & sustentaculum rerum. *Per potentiam*: quia ubique & in omnibus operatur, omnia creando, formando, conservando, sustentando, regendo: quæ operatio si cessaret, omnia in nihilum evanescerent. *Per inspectionem*: quia omnia clarissimè intuetur, & pervidet omnes hominum cogitationes, affectus, consilia, & omnia cordium arcana.

V. Considera, naturam tuam, & omnia bona tua ab ipso assidue pendere, & quasi assidue creari: & singulis momentis totum quod es, & quod habes, te ab ipso debere accipere: ita ut singulis momentis totum sit veluti novum beneficium. Non enim sufficit semel accepisse, sicut in beneficijs quæ ab hominibus dantur, sed continuò accipere debeamus, & ipse assidue donare: alioquin si ipse vel ad momentum cesseret à donando, beneficium evanescit. Sicut enim si sol non assidue lumen suum nobis communicaret, sed vel ad momentum vim suam cohiberet, omnia repente essent in tenebris: ita si ipse vel

ad momentum beneficū influxū suū retraheret, omnia in nihilum conciderent.

VI. Cūm semper in conspectu tantæ Majestatis versemur, perpende, quantā reverentia & humilitate in omnibus nos gerere debeamus: & quantā curā nobis adhibenda, ne quid à nobis interiùs in corde, vel exteriùs in opere committatur, quod ipsum possit offendere. Si enim, cūm in conspectu alienus Princ̄pis, cui tamen naturæ conditione pares sumus, versamur, reverenter nos gerimus, & sedulò cavemus, ne quid agamus, quod ipsi displiceat: multò magis id nobis curandum est in conspectu tantæ Majestatis, ad quam comparati sumus instar nihili.

VII. Perpendæ, quantæ impudentiæ & audaciæ sit audere in conspectu tantæ Majestatis peccare. Si enim in conspectu Principiis minitantis mortem, aliquis præceptum Principiis violaret, censeretur illum contemnere, & gravem injuriam illi irrogare; ac proinde morte dignissimus: multò magis qui in præsentiâ & conspectu infinitæ illius Majestatis fulmen æternæ damnationis comminantis audet peccare, censeretur ejus Majestatem, & minas omnes contemnere, & æternâ morte dignus est.

VIII.